



# **Disputatio juridica inauguralis de senatusconsulto Macedoniano**

<https://hdl.handle.net/1874/345151>

DISSERTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
D E

Senatusconsulto Macedoniano.

Q U A M

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

JACOBI VALLAN,

M. D. Praxeos & Institut. Medicinæ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatûs Academici consensu, Nobilissimæque*

*Facultatis JURIDICÆ Decretò,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis  
ritè ac legitime consequendis,

*Eruditorum examini subjiçit.*

JACOB VERHEYE. ZIRIZ. ZELAND.

*Ad diem 29. Junii hora locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clò lcc xci.

DISERTATIO JURIDICA  
IMAGURALIS  
Senatusconsulto Macedoniano  
ROMA  
HAVENTH DEO TER OPT MAX  
Imperator Justinianus

in l. 8. §. 5. C. de bon. qua lib.

*Melius est coarctare juveniles ca-  
lores ne cupidini dediti ; tri-  
stem exitum sentiant, qui eos  
post dispersum exspectat patri-  
monium.*



DISSERTATIO JURIDICA

INAUGURALIS

DE

Senatusc. Macedoniano.

THESIS I.



Uamvis ex contractu filiifamilias  
variae actiones dentur, non tan-  
tum adversus ipsum filium sed  
etiam adversus patrem ejus, hoc  
tamen fallit in causa mutui ob be-  
neficium Senatusconsulti Mace-  
doniani; & merito quidem filius-  
fam. ex mutuo cum effectu non  
obligatur, ne pecunia mutuo data abutatur, & ad  
omnes perverfitates alliciatur, & ne tandem gravi aere  
alieno pressus vitae parentis infidietur.

II.

Illud autem Senatusconsultum interpretes statuunt  
factum esse à Senatu Romano auctore Vespasiano Im-  
peratore, *Suet. in Vesp. cap. II.* Claudius quoque,  
cum foeneratorum improbitas semper bonas leges vin-  
ceret, hac de re legem promulgavit, ut scribit *Corn.*  
*Tacitus lib. II. annal. Claudius lege lata coërcuit*  
*creditorum sevitiam, ne in mortem parentum pe-*  
*cunias filiisfam. fenori darent.* Facile enim mu-  
tuam

A 2

4 DISSERTATIO JURIDICA

tuam pecuniam dabant foeneratores filiisfam. sperantes fore ut mortuo patre solverent. Dicitur autem est Macedonianum, non à quodam Macedone filio mutuum accipiente ut *Theoph.* voluit, sed à præclaro adolescentum circumscriptore & foeneratore, qui Macedo appellabatur, quique occasionem dedit huic SCto, ut Carfania occasionem dedit edicto de postulando, ut sæpe optimæ leges pessimis moribus originem debent, certum enim est non omnibus SCtis à Cos referente ad Senatum, sed compluribus ab ipsa personâ, de quâ cavebant, nomina tributa esse. Quale est SCtum Tacitum apud Capitolinum in Gordianis c. 12. & prætextatum apud *Gell.* 1. c. 23. & *Macrob. Sat.* 1. 6.

III.

Hoc Senatusconsulto Macedoniano cautum fuit ne quis filios mutuum pecuniam daret, aut si dederit denegatur ei actio, & petitio etiam post mortem patris *l. 1. ff. de SCto Mac.* quæ verba ut plenius & melius intelligantur singula breviter pro ratione temporis explicando percurramus.

IV.

Dicit itaque primò, Senatusconsultum *incertis nominibus* quæ sunt cautiones, in quibus causæ credendi non exprimuntur, ne crediti turpitudine detegeretur, ut *nomina certa* apud *Horat.* 2. *Ep.* 1. v. 105. & *Cicer.* 3. *Verr.* Quibusdam tamen melius placet quod sint debita conditionalia, quæ scilicet existente

con-



conditione bona fiebant, non existente mala; conditio illa erat mors patris, quod etiam ex verbis finalibus textus hujus SCti apparere videtur: *Nullius posse filii. bonum nomen* id est quod pure deberi & exigi posse incipit *l. 26. §. 2. mand. l. 89. ad l. falc. l. 102. d. solut. Expectata patris morte fieri. Donat. ad Terent. Adel. Filiis*, inquit, *Parentes aut amabiles sunt, aut expectati. Amabiles, boni: expectati mali, quorum mors in dies expectanda & exoptanda.*

## V.

Dicit prætereà textus Senatusconsulti, *Ne quis*; quod verbum ad fœneratorem referendum, quoniam Senatus simpliciter de eo loquitur, qui pecuniam mutuatam dat, neque distinguit personas; nec refert quis crediderit privatus an civitas *l. 15. ff. h. t.* quia sufficit creditum esse filiofam. ut exceptio ex hoc SCto competat: quod si tamen minor credidit ille in integrum restitui poterit, major enim ætatis quam SCti ratio habetur *l. 3 §. 2. l. 11. §. ult. ff. de minor.*

## VI.

Additur porrò in Senatusconsulto *filiofamilias*. Sed quod de filiofamilias verbis SCti expressum fuit, id interpretatione prudentum porrectum quoque est ad filias *l. 9. §. 2. ff. h. t.* quia & in illis militat eadem ratio, neque ad rem pertinet si affirmant, ornamenta ex illâ pecuniâ comparasse *d. l. 9. §. 2. eod.* Idem auxilium Imperator Philippus ad nepotes & pronepotes porrexit in *l. 6. §. 1. C. h. t.* Requiritur autem

## 6 DISSERTATIO JURIDICA

ut sint in potestate eo tempore quo mutuum contrahitur. Si mutuum acceperunt cum jam sui juris facti sunt, solutionem autem promiserunt ante, cessat SCTum, quia tempore perfecti contractus non fuerunt filiifam. *l. 3. §. ult. § l. 4. ff. h. t.* Hoc etiam SCTi beneficium, non competere filiofam. qui matrimonium hodie contraxit, ex jam dictis intelligi potest, quandoquidem matrimonium ubique Europæ, finem patriæ potestati imponit. *Queritur*, etiam an separata habitatio patriam potestatem solvat? *Resp.* valde probabile videtur (quamquam apud nos per eam non solvitur patria potestas) si pater separationi œconomix consenserit, eum simul mutui contrahendi potestatem dedisse videri; Quatenus etiam dignitates in filiofam. patriam potestatem solvunt, eatenus etiam hoc SCTum locum habere non potest. Non etiam pertinet exceptio SCTi ad filios emancipatos, quia ratio SCTi, ne filiifam. mores corrumpantur, & oneratus ære alieno, vitæ parentum insidiari incipiat, cessat in emancipato, qui omnia sibi acquirit, & habet, si gravatus sit unde solvat. Cessat & ista ratio in servo, qui etsi mutuum pecuniam accipiat, dominum obligat; servus enim ex domini hæreditate nihil sperat, aut sperare debet præter vitæ libertatem.

## V I I.

*Mutuum pecuniam dant.* Pecuniæ verbum plerumque non solum numeratam pecuniam complectitur, verum omnem omninò pecuniam, hoc est, omnia corpora. *l. 171. ff. de V. S.* aliquando accipitur pro illis rebus quæ constant pondere, numero & mensura;

ra;



ra; aliquando pro pecunâ numeratâ uti hoc loco. Specialiter itaque Senatus prohibet, ne quis pecuniam mutuam det, quia pecunia est instrumentum luxuriæ, incrementum avaritiæ & origo fœnoris; quare non ad alios contractus veluti venditionem, locationem, societatem &c. Sctum pertinet, quoniam hi contractus non sunt ita periculosi; quod tamen ita intelligendum, si non sit contractus initus in fraudem Scti, veluti si alia res pro pecunia vel unde pecunia conflare possit, quæ in mutuam venirent datæ sint *l. 3. §. pen. & l. 7. §. 3. ff. b. t.*

V I I I.

Postremò dicitur; *denegatur ei actio & petitio*; id est, ut agens eo nomine, ex illo contractu, summoveatur exceptione hujus Scti; quæ duo vocabula *actio & petitio* alibi etiam conjunguntur *§. 2. Inst. quib. mod. obl. tol.* & tum *actio* significat actionem in personam, *petitio* actionem in rem *l. 178. de V. S. l. 25. l. 28. ff. de obl. & act.* Sic ergo Senatus nec pecuniam extantem vindicari, nec consumptam condici permittit, ita ut nec pater de peculio possit conveniri. Ex hisce constat Sctum hoc factum esse in gratiam securitatemque parentum, & in odium improborum hominum, adeoque etiam boni publici causa *l. 11. ff. b. t. junct. l. 40. ff. de condict. in deb.*

I X.

Proponitur itaque hoc Senatusconsulto Macedoniano exceptio, competens non tantum liberis, verum etiam



8 DISSERTATIO JURIDICA

etiam patri, qui proinde ex hoc contractu actione de peculio conveniri nequit, vel hac exceptione eam elidere potest *l. 7. §. 10. ff. b. t.* nisi pater filio tanquam institutore utatur, quo casu soli filio competit *d. l. 7. §. 11.* prodest etiam fidejussori & mandatori, qui pro filio mutuuum accipiente, fidem suam interposuerunt *l. 4. §. 3. eod.* nisi forte donandi animo intercesserint *l. 7. pr. §. d. l. 9. §. 3. ff. eod.* quia non in personam sed in rem hæc exceptio concepta est *l. 7. §. 1. ff. de except.* Datur autem hæc exceptio contra creditorem filiisfam. *§. 7. Inst. quod cum eo qui* ejusque successores *l. 7. §. 6. ff. b. t.* nec non contra eum qui quod aliis credidit sibi stipulatus est *d. l. 7. §. 7.*

X.

Effectus Senatusconsulti est, quod obligationem faciat irritam, quæ alias ex hoc contractu mutui nasci posset. Quo casu *Queritur*, an contractus hic mutui sit ipso jure nullus, nullaque inde obligatio, an vero extet obligatio sed exceptione infirmanda? *Respondetur.* Exceptione est, infirmanda, nam ita Senatus improbat hunc contractum, ut tamen obligationem naturalem plenam inde concedat *l. 10. ff. b. t.* Utque fidejussor qui pro filio solvit, solutum non repetat, *l. 9. in. fin. b. t.* quanquam ipse filius repetat quod per errorem solvit, antequam sui juris factus est *l. 40. ff. de cond. indeb. d. l. 9. §. fin. ff. b. t.* unde filius demum ope exceptionis liberatur *l. 19. ff. b. t.* Speciale quoque in hac exceptione est, quod, quamvis peremptoria sit tamen opponi possit post sententiam, oppositaque ejusdem executionem impediatur *l. 11. ff. b. t.*

Quæ.

X I.

Quæritur porrò inter Doctores; an filiusfam. huic SCto possit renuntiare? Et communiter concludunt quod, non quia exceptio hæc odiosa est; quod tamen sese aliter habet in exceptione SCTi Vellejani, quia hæc introducta est in favorem mulierum, favori autem suo quilibet renuntiare potest *l. pen. C. de pact.* Secundò quoniam Vellejanum tantum respicit nudam causam bonorum; Macedonianum autem utilitatem publicam, ne scilicet mores filiorum pecunia illis credita corrumpantur: cui proinde juri utilitatis publicæ causâ statuto renuntiare non possunt filii familias *l. II. ff. h. t.*

X I I.

Non tamen semper hoc ipso Senatusconsulto filius se tueri potest, sunt enim casus quibus exceptio hæc locum non habet, qui possunt referri ad tria capita; nam cessat, vel ratione filii, vel ratione patris, vel ratione ipsius causæ.

X I I I.

Ratione filii cessat (1) Si filiusfamilias habeat peculium castrense *l. I. §. fin. C. l. seq. ff. h. t.* quia in eo vice patris fungitur (2) Si publico errore pro patrefam. habitus sit, & per hoc aliquis qui credidit justa ignorantia sit deceptus *l. 3. pr. ff. h. t.* (3) Cessat etiam exceptio SCTi si minor dederit mutuum majori, quia

B

validius



est privilegium ætatis quam S<sup>C</sup>ti *l. 11. in fin. de minor.;*  
 Unde sequitur si minor dederit pecuniam filiofam.  
 æque minori, cessare hanc exceptionem (4) si per  
 mendacium se patrem esse dixerit *l. 1. C. eod. (5)* Si  
 filiusfam. fidejubendo interveniat *l. 7. pr. ff. b. t.*  
 (6) Si vestigalia habeat *l. 3. §. 1. eod. (7)* Si filiusfam.  
 postea pater factus solverit partem debiti *l. 7. §. ult. ff.  
 b. t.* Quod secus se habet in pignore, si namque fi-  
 liusfam. pignus dederit, non tenetur ultra pignus *l. 9.  
 pr. ff. b. t.* ratio differentiæ est; quod solvens partem  
 debiti, totum debitum agnovisse præsumatur, non  
 itidem qui constituit pignus; non enim solet pignus  
 dari pro debito in solutum creditori, sed magis in secu-  
 ritatem.

## XIV.

Ratione patris cessat exceptio (1) Si iussu vel con-  
 sensu patris accepta sit pecunia *l. 2. §. 4. C. b. t.* qui ta-  
 men consensus non probatur ex chirographo, quod si-  
 gillo patris munitum est, tum quod si non offeratur alia  
 probatio de scientiâ patris, res subornationis gratiâ &  
 fraude facta præsumatur, tum quod possit videri im-  
 prudens pater ex aliâ causâ signasse *l. 2. C. de reb. alien.  
 non alien. l. 2. C. plus valet quod agitur (2)* Si pater  
 filium fecerit institutorem. *l. 7. §. 11. ff. b. t.*

## XV.

Denique ratione ipsius causæ cessat (1) Si acceperit  
 pecuniam, & in rem patris vertit, tum enim patri non  
 sibi acquirit *l. 7. §. 12. ff. b. t.* quod etiam obtinet si illa  
 pecunia

pecunia casu fortuito perierit *l. 47. in fin. ff. de solut.*

(2) Si filiusfam. sumplerit pecuniam studiorum aut legationis causa, vel in alios necessarios sumptus quos pater non recusaret, quia cessat ratio SCti; si tamen probabilem modum non excessit *l. 7. §. 13. ff. b. t.*

(3) Idem obtinet si eam rem acceperit filius, quæ patris oneribus incumbit, veluti ad dotandam sororem, quod onus est patris, in cuius rem pecunia, versa *l. 17. ff. b. t.*

*non potest*

I V

C O R O L L A R I A.

I.

*EX nudo pacto non datur actio.*

I I.

*Minor 25 annis potest esse procurator ad lites.*

I I I.

*Maritus est dominus dotis.*

*Minor*



*Minor 25 annis non potest fungi munere  
Reipublica.*

*Mulier jure Romano officio publico fungi  
non potest.*

**V I.**

*Si quis vitiatam duxerit pro virgine ma-  
trimonium subsistit.*

**F I N I S.**

**I I.**

**I I I.**